

*rum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem? Namquid absuisse credendus est Spiritus Sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute?*

Hæc ego Patrum testimonia selecta in hunc locum congeffi, ut inde constaret, Conceptionis Mysterium non, ut mentitur libellator, ac rudioribus conatur imponere, ignotum fuisse antiquitati; sed a primis usque temporibus in ore versatum Catholicæ Ecclesiæ; nec modo leviter adumbratum Patrum sententiis, sed veris coloribus tam luculenter expressum, ut ineptus futurus sit, qui velit adhuc *altum silentium* vetustatis inculcare.

XX. Quintum argumentum. *Quamvis Pontifices, qui hæc usque ediderunt Constitutiones favorabiles Mysterio Conceptionis, habuerint præ oculis omnes, & singulas auctoritates tum Scripturæ, tum Patrum, quæ conglobantur a petentibus talem definitionem, numquam tamen illud definirunt. Signum evidens, quod supra illas fundari non poterat definitio. Dixerunt sententiam immaculati Conceptus esse laudabilem, piam, religiosam. Instituerunt festum Mysterii: illud de præcepto celebrandum sanxerunt: approbarunt Ordinem sub illius invocatione institutum: largiti sunt Indulgentias in die festo: & quidquid in favorem cederet Mysterii, hæc usque fecerunt; tamen numquam ad resolutionem devenerunt.*

Signum evidens illud est, Ecclesiam, ut in re gravi, maturitate, ac prudentia opus esse censuisse; tum quasi per gradus eo usque progressam, ut nihil illi superstit aliud, quam definitio. Quis autem ferat libellatoris temeritatem, qui cum dicat definitionem nec in libris Divinis, nec in Patrum sententiis fundamentum habere, Ecclesiæ decreta, quæ sunt hætenus edita in favorem Mysterii, deridiculo habere videatur? Si Scripturæ, si Patrum sententiæ neutriquam favent immunitati Deiparæ, consequens est, ut Ecclesiam accusas maximo crimine levitatis, eamque dicas errare posse, quin etiam errare, dum Conceptionem labis expertem veneratur.